

tollitur, nam etiam *uni* ad *decades* referri potest. Rem evictam daret *unum*, quo nil intelligi posset, nisi annus adjunctus ad *mille trecentos et quatuor decades*.

CXXVIII.

U. 20

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 157. f. per duas columnas caractere luculento, crasso perscriptus, et rubricis distinctus hanc Notam praefert: *Hos quinque libros postillarum Nicolai de lyra dedit ad librariam Domus huius Egregius decretorum doctor Dominus leonardus Schawr Officialis Curie Patav. Orate pro eo. 1410. Rectoratum Academicum gessit Vir hic a. 1394. obiitque Canonicus Eccl. Ratisb. Patav. Brix. et Plebanus in Laa a. 1411. ut ejus Epitaphium in Carthusia Mauerbac. relatum a J. Jos. Lochero in Speculo Acad. p. 396. testatur. Per quinque Libros totidem Volumina intelligenda fuisse, quorum quatuor deperierunt, inde liquet, quod Codex noster non quinque, sed plures Libros contineat Postillarum. Insunt enim: In *Josue*, in *Judices*, in *Machabaeos*, in *Tobiam*, in *Judith*, in *Esther*, in *Sapientiam*, in *Ecclesiasticum*, suis singuli clausulis subnotati, quarum postrema: *Explicit postilla super ecclesiasticum. Edita a fratre Nicholao de lyra de ordine fratrum minorum. Sacre theologie doctore. Anno domini Millesimo trecentesimo. XXXI.* qui annus quamvis non descriptionem, sed absolutionem Operis respiciat, ipsa tamen etiam descriptio non procul ab eo*

abfuerit. *Postillae* ipsae saepenumero cum seorsim, tum in Bibliis glossatis typo excusae profant.

CXXIX.

U. 33

Codex partim chartaceus, partim membraneus lat. Sec. XV. Folior. 316. f. per duas columnas bene scriptus, rubricis enotatus, et, ut anterior Theca praefatur, Collegio ducali *Vien.* legatus a saepe memorato *M. Thoma Ebendorfer de Haselbach* continet: I. *Hugonis de S. Caro* ex Ord. Praed. Cardinalis *Postilla in IV. Libros Regum, Paralipomena, II. Esdrae, Tobiam, Judith, Esther, tum Josue*; omnia, prout extant Edit. *Lugd. 1645. T. I. f.*

II. *fol. 233. p. 2. sequitur Expositio domini Stephani Cantuariensis super Josue. Item super Judicum, et super Ruth. Stephanus hic Langtonus est Anglus, sed Parisiis scientiis egregie excultus, et sacris dignitatibus ornatus, tandemque non sine turbis et difficultatibus ad Angliae Primatum et Purpuram Rom. eluctatus, demum defunctus a. 1228. De eo, et copiosis ejus Scriptis, quorum perpauca typis vulgata sunt, Ciaconius in *Vit. Pontiff. T. II. p. 31. Oudinus T. II. col. 1695. Caveus Vol. II. p. 281. Tannerus Bibl. Brit. Hib. p. 466* atque hic triplici *Expositioni* nostrae, extra Angliam satis rarae alia adsignat initia, quam quidem in *Codice* nostro habet, unde concludo, initia illa *Prooemiorum* esse, quibus Librarius noster caruit; incipit enim Josue:*